



MEDIATORE HOMINUM PROSPERANTE!
NEC NON
AMPLISSIMO COLLEGIO PHILOSOPHICO
IN ILLUSTRIS WITTEBERGENSI
ACADEMIA
APPROBANTE

DE
AURO,
EJUSQUE MATERIA

DISPUTATIONEM PRIMAM
publico συμφιλοσοφούντων examini subjiciunt
PRÆSES

M. HEINRICUS Purgold /
ISENNACO THUR.

ET
RESPONDENS
JACOBVS JODOCVS Naab / HILPERH. FR.
MEDIC. STUDIOS.

in Auditorio minori horis matutinis
ad diem 14. Decembr.
Anni decurrentis
c13 l3c LII.



WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Haken. c13 l3c LII.

MEDICINAE HISTORIAM PROPRIO
M.C. NOV.
AMERINO COLLEGIUM INDOCTO
IN ILLUSTRI WITTEBERGENSI
ACADEMIA
APPROBANTE

AUROR.

HILCOVE MATRICA
DIPLOMATIUM PRIMAM
publica approbatione et examina habita
PAGES

M. HEINRICUS JUNGEL
JENNACO THEM
ET
RESPONDENS

JACOBVS JODOCVS JUNGEL HILTERN. FR.
MEDIC. STUDIOS.
in studio curavit hanc operam
ad hanc Decembris
Anni 1717
et sic hab.



WITTEBERG.
Typis Johanne Haken. et sic hab.



DEO DUCE, COMITE VERITATE!

Aurum, quod Euclio admiratur & Numinis instar colit, Sapientes olim contemserunt. Quinquaginta drachmas obolo aestimabat

Græcus Aristippus, qui servos projicere aurum
In mediâ jussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes.

Adeò non eadem universis grata sunt atq; accepta. Istud vilipendere, quo nihil pulcrius, nihil præstantius, nihil preciosius ducunt mortales; istud abjicere, quod rerum preciosarum norma est & mensura; haud equidem plebeji atque humilis est animi. Eximia quævis aurea nobis sunt. Aureus partus, mores aurei, lux aurea, ætas aurea, libellus aureus, dicta aurea, os aureum, Venus aurea, conjux aurea. Nos absque culpa & vitio, non manu, sed mente tractabimus: Nos non in aulâ, sed in animo repositum conficiemus aurum. Fingant alii summi mali materiam, ferroq; nocentius: nobis digitus erit majestatem Dei depingens. Habeant sibi divites auro suppactû solû: nos nomine contenti in contemplatione gaudebimus, in aurum cogitata dictaq; commutabimus. Conditor Auri gloriosus mentem manumq; dirigat, ut liceat aureos de Auro habere sermones!

POSITIO I.

Originem vocis Auri non adeò curat Physicus.

EXPOSITIO.

§. 1. Res hic pensiculanda est, non voces examinandæ. Res teneatur, verba non lancinentur. Physico nec addit, nec demit quicquam vocis derivatio. Nemini litem movebit, sive cum Festo & Plinio denominetur ἀπὸ τῆς ὀψείης, quod præcipuè custodiatur Aurum: uti vulgò, falsò tamen de Gryphibus in Riphæis montibus, nec non formicis Indiæ Orientalis Autores commemorant. quanquam de avaro quæ dicit Horat. l. 1, sat. 1. verissima sint.

congestis undiq; saccis

Indormis inbians:

An vigilare metu exanimem noctesq; diesq;

A 2

For-

Formidare malos fures, incendia, servos

Ne te compilent, fugientes: hoc juvat?

*Sive cum Hypsicrate, qui à Varrone & Gellio citatur, scripsit-
que de Romanis vocibus, quæ à vetere lingua Græca derivan-
tur, ab Inventore, quem vocitatum dicit Aurum (Hippocra-
tes ἀυριον) nomen reperisse censeatur; Sive cum Isidoro ab au-
rà, id est, splendore & fulgore, quo præstat metallis reliquis:
quò de Virg. l. 6. Æneid.*

Discolor inde auri per ramos aura refalsit.

*Unde idem est fulvum. Ovidio micans: Apulejo coruscans:
Claudio rutilum: Pindaro 1. odâ Olymp: αὐρομένον πῶρ:
origine ut videtur planè Hebraicâ ab אור quod lucem sive
splendorem notat. Sive, quod mentes hominum auruncet,
h. e. averruncet & avertat; quò pertinet prudentissimum il-
lud Senis in Captiv. Odi ego aurum, multa multis sæpè persua-
sit perperam. illudq; Virgili:*

Quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra fames?

*Sive denique cum Martinio ab aveo: auri quòd valdè avidi
sint homines, Numinis instar illud amplexantes. Unde Poe-
ta.*

Itum est in viscera terra

*Quasq; recondiderat, Stygiisq; admoberat umbris
Effodiuntur opes irritamenta malorum.*

§. 2. Nos nec oppugnamus, nec propugnamus quenquã:
*Aliis hæc discutienda relinquimus. Quod si verò statuendum
aliquid nobis de etymologiâ omninò sit, tria tribus, quod
ajunt, verbis dicimus. Primum est: Non dari posse cujusvis vo-
cis originem. Alterum est: Etymologiam non tam Stoicam,
quàm Grammaticam attendendam esse. Ista enim non ety-
mologia est, sed vix allusiuncula. Tertium: Utrumque voca-
bulum, tam ἀυρος, quod abundantem seu divitem notat &
quibusdam auri radix est; quàm ἀβρος, quod mollem deli-
catamq; significat, Lexicographis non esse incognitum.*

POSITIO II.

Aurum perfectè definiri non potest.

EXPOSITIO.

§ 3. Aurum non sumimus h. l. artificialiter & Synecdochicè
(vul-

vulgò metonymicè) vel pro patera aurea, cuiusmodi vas Gr̃
ἀλαστόν vocant. *Virg. 7. Æn.* Hoc pater Anchises auro liba-
bat ad aras; vel auro torque aliisque ornamentis ex auro con-
fectis; *8. Æn.* Lactea colla auro innectantur. vel ocreis aureis.
11. Æn. Surasq; incluserat auro. vel pro pecuniâ ex auro cusâ
sicuti capitur in illo *Plaut. Aulul.* Effodio aulam auri plenam
Quod differentia ergò *aurum signatum* cum *ωροδογισμῶ*
dicitur, Hinc *Ulpianus*. Si aurum vel argentum signatum le-
gatum est, id paterfamilias videtur testamento legasse, quod
aliquâ formâ est expressum. Sed essentialiter & specificè pro
metallo ipso omnium perfectissimo, quod Solem vocitare
Chymici consueverunt.

§. 4. Hujus perfectissimi metalli perfecta definitio opta-
tur, frustra speratur. Equidem solæ species definiuntur; o-
mnes verò definire nostra vetat ignorantia. Formæ specifi-
cæ latent, quæ constituunt, & differentia vicem sustinent. So-
lius hominis non ultima excellentia est, representari posse
intellectui definitione brevissimâ, absolutissimâ & accuratis-
simâ. Scilicet *circa corticem hic versamur, & nucleum invenire*
non possumus. Vas vitreum instar vulpecula à ciconiâ elusa lambi-
mus, pulveremq; baud attingimus. Humi enim nostra repit scientia
& formarum omnem fermè in modum nescius est animus, sepèq;
cum formâ invenisse gloriatur, vix misellū est accidens: iudicio
Exc. DN. SPERLINGI, Præceptoris & Promotoris nostri atate
venerandi Instit. Phys. p. m. 73. Nomina tu lapidis, subtilissi-
mus Scaliger ait, exerc. 307. s. 12. qui quotidie tuis oculis ob-
versatur formam: & Phyllida solus habebis. Idem de Auro in-
geminandum. A formâ desumenda erat differentia, non af-
fectionibus insignioribus. Substantia nominanda erat, quæ
essentiam constituit, non accidentia, quæ essentiam consti-
tutam insequuntur. Sed quia præstare non possumus, quod
volumus & debemus, præstitisse sufficiat, quod valemus. De-
scribimus ergò cum Excell. DN. SPERLING. Inst. Phys. pag.
1089. Aurum est metallum perfectissimum & splendidissimum, ex
mercurio perfectissimè excocto, atq; sulphure rubeo præstantissi-
mo ac sale optimo genitum. Geberus ita describit. Aurum est
corpus

corpus metallicum, citrinum, omnium metallorum gravissimum, matum, fulgidum, aequaliter in ventre terra digestum, aqua minerali diutissime lavatum, examinationem cineritij & cementsi tolerans. Ast utram arripias, perfectam non habebis, quam desideras, definitionem.

§. 5. *Metalli*, quod generis loco posuimus, varia significata, quae Autoribus perquam familiaria sunt, hic exulare jubemus, retento unico isto, quo notat *minerale fusile, & in longu latuq; malleo ductile*: quod de metallis omnibus tanquam genus essentialiter; ob analogiam attributionis intrinsecae *in aequaliter*; de auro ut & argento, quod aurum album, nec non sororem auri appellitant, *primario* tanquam potissimis analogatis; de reliquis, quae communiter imperfecta salutantur, *secundario* praedicatur: prout naturam istius analogiae requirere satis superq; constat.

POSITIO III.

Materia auri remota immanens quatuor elementa sunt.

EXPOSITIO.

§. 6. Corpus tractamus; Itaq; *materia ponderanda, non neganda*: cum corpus absque materia totum sit absque partibus essentialibus, panis sine farina, somnium sine somno. At sicut *materia prima Peripateticorum* figmentum est nondum explicatum, ne dum satis probatum; ita eandem hic loci esse jubemus. Elementa vero ingredi constitutionem Auri, non negabit, qui novit, hoc eorundem officium esse, ut *mixtorum materia sint & principia*: inter quae mineralibus primus merito locus debetur.

§. 7. Hoc videtur altioris esse indaginis: quidnam in auro elementa misceat; cum cuius constet, haec ipsa *mixtibilis esse, adeoq; se in mixtionis negotio mere passivè habere*. Materia mixtionis seipsam non conjungit; sed agens conjungens, miscens atque disponens requiritur. Istum motorem, rectorem & directorem Auri formam dicimus. *Quaerenti*

venti hic: Quid est illud, quod tantum terra, tantum commiscet
cæterorum? respondet Scaliger exerc. 397. sect. 20. Nisi quatuor
illa elementa rectorem habeant, temerè ac sine modo, metaq; ulla
Ë jaëtabunt Ë jaëtabuntur. Non enim illa sese movere ullum
ad opus queunt, sed in compositis à formâ excellentiore in mistis
imperfectis ab æterno principio cientur ad mutuam connexionem.
Celeberr. Sennertus in eandem sententiam. Non credendum,
inquit de Cons. & Diff. c. 11. p. m. 272. quod nonnulli sibi imaginã-
tur, quasi cum res aliqua generanda est, ex omnibus quatuor ele-
mentorum regionibus materia ad mistionem conquirenda sit:
sed cum crearet Deus Opt. Max. Verbo, elementa miscuit, Ë mistis
suas formas peculiare ac seminales rationes ac essentias cælo a-
nalogas indidit. Atq; ita cursum naturæ per propagationem spe-
cierum in individuis conservat Ë tuetur.

§ 8. Hæc elementa, sicut in omnibus mistis; ita & in Au-
ro hoc nostro esse actu Ë formaliter, non potentiâ Ë virtualiter,
multa sunt, quæ potenter evincunt. Vt enim
taceamus, mista in elementa resolvi, mista ab
elemento prædominante moveri, qualitates elementares in
mistis manere; hoc tantum addimus: elementa nec in misti-
one, nec post mistionem perire posse. Prius procul dubio nõ
dixerint, qui stant à parte adversâ. Tum enim unienda sunt.
Quæ verò uniuntur, manent, non pereunt. Mistio miscibili-
um est unio. Si unio miscibiliû sit, quæ pereunt, quæ abolen-
tur? Posterius vi hypotheseos propriæ non adstruxerint,
quia pugna tunc deest, obfactam, quam putant remissionem.
Imò quæ manent elementorum virtutes, elementis destru-
ctis? Quis credet, cane mortuo, potentiam latrandi: mortuo
bove vim mugiendi perire; destructis verò elementis, virtu-
tes eorundem manere salvas atque integras? Gravitationem au-
ri sensu percipimus universi; at virtus hæc non potest non ef-
se sublata, ipsâ essentiâ terræ sublatâ: quemadmodum salvâ
manente essentia, salvæ quoque manent virtutes. Etenim quæ
ratione aurum ob terram, quæ prædominatur, grave deno-
minatur, si ipsum actu terram non habet? *Αὐρὸς γὰρ* hæc
sunt: Mistum moveri ad motum elementi prædominantis:
ipsam

ipsum verò elementum, quod dominatur, & elementa, quibus id dominatur, non habere.

POSITIO IV.

Materia auri proxima est Mercurius perfectissimè excoctus, Sulphur rubeum præstantissimum, cum Sale optimo.

EXPOSITIO.

§. 9. Nunc eam proponimus & defendimus materiam, quã multi ignorârunt ante, multiq; negant hodie. Cõtinua hæc naturæ vicissitudo est: dies diem docet, ac posterior prioris magister, lima & lex est. Hæc ea felicitas nostra, ut scimus multa, quæ ignoravit antiquitas; sed & hæc nostra imperfectio, ut multa, si qua futura est, inventura sit posteritas. *Hinc malè de naturâ censet, verba sunt Ludov. Viv. l. 1. de caus. corr. art. quicumq; uno illam aut altero partu esset am esse arbitratur, cur se non putent aliquid excussuros, si annitantur? cùm nulla sit tam facilis atq; humilis ars, in quâ non infinita occultantur, quæ possint multa ingenia diutissimè exercere. Et recentiores haud sanè pauca excuderunt nonnunquam acutiùs, sepè etiam verius. Nulli in via natura est, nulli invida, præterquam ignavo. At si qui sunt, naturæ opera indagare qui contendunt, Chymici sunt. Hi misis vitilitigationibus res ipsas tractant, & naturam non in libris, sed in mundi theatro querunt; illa etiam quæ in libero aère volant, instrumentis includunt, & ad examen revocant. Horum operâ Salis, Sulphuris & Mercurij naturæ in lucem iterum protractæ sunt, quæ ad tempus pene longum ante Cimmeriis oppressæ erant tenebris; Quibus verbis in eximia ponere commendatione Chymicos non dubitat Excell. Dn. SPERLING. Inst Phys. p. 855.*

§. 10. Neq; verò, quia nova quibusdam videntur hæc principia, rejicienda sunt. Novas res si neglexissent Antiqui, quas nunc veteres haberemus? Nihil est iniquius, subtilis Scalliger ait exerc. quàm rerum omnium dominatorem intellectum humanum facere servum alienæ libidinis & aliarum opinionum. Cùm enim felix sit, qui rerum causas potuit cognoscere; Chymici verò observarent, omnes mistorum qualitates sine

con-

contradictionibus & confusionibus solis elementis) quippe in quibus nullam ad easdem potentiam vel ipsi Peripatetici invenire haecenus potuerunt) adscribi non posse; principia haec tanquam prima & propria earundem subjecta, ex quibus immediatè fluunt, & propter quæ aliis rebus naturalibus insunt, innaturam non tam intulerunt, quàm extulerunt. Hæc ea humanæ mentis indoles est, ut naturâ ad cognitionem rerum feratur: nec acquiescat prius, quàm causa patefacta tristitiam ex ignorantia ortam, & cum admiratione conjunctam excutiat. *Qui enim admiratur, ignorasse existimandus est.* Arist. l. 1. Met. c. 2.

§. 11. Cæterum, quid intelligant Chymici per ista principia, quotq; eorundem veniant nomine, ab ipsismet explicatum fusiùs est. Vid. *Quercetani* dissp. *Zvinger.* de principiis. *Alchym. triumphans.* D. Libav. passim in *Tractat. & Comment. Alchem.* in primis lib. 2. *Alchem.* tr. 1. c. 49. f. 109, nec non *Alchem. Pharmac.* c. 28. f. 192 seq. *Celeb. Sennert.* de C. ac D. c. 11. *Bequini Tyroc.* Chymic. edit. *Pelsböferiana* c. 2. p. 26. seq. Nos juvat verbis Præceptoris venerandi DN. SPERLINGI, qui tū in genere, tū in specie materiam hanc dedit expeditâ *Inst. Phys.* p. 853. exprimere. Ita verò iste: *Principia Chymica* sunt corpora naturalia mista ad metallorum & animatorum constitutionem à Creatore facta, peculiariūq; & affectionū & effectiōnū causa. Suntq; *tria*: Sal, Sulphur & Mercurius. *Sal* est corpus naturale mistum, saporis gignens, in sicco cōcrescens, ac mirabiles penetrandi, detergendi & putrefactionem prohibendi vires obtinens. *Sulphur* est corpus naturale mistum, oleaginosum ac viscidum, odores gignens, inflammationes efficiens, & corpora mista colorata reddens. *Mercurius* est corpus naturale mistum, liquidum & spirituosum, inconstantiam corporib9 mistis adferens. Quarum definitionum explicationes accuratissimas vid. loco laudato.

§. 12. *Nec Paracelsismi* arguendus est, Paracelsum qui adducit. Transeat, gemmas fulgentes, si quæ sunt, ex ipso fimo colligi debere; nemo ista Paracelso auctori & inventori tribuet: contrarium abundè res ipsa & auctores docent. Ne
B ad-

adducamus Cratonem, Fr. Basilium Valentinum, semitam
rectam Philosophorum, Nicolai Scharrenstetteri collectanea
circa annum 1442. 1521. D. Senn de Ciac D. p. m. 58. seqq. 264.
313. & alios: tetigisse sufficiat, quæ de Paracelso Bernbardus
Penottus à partu Aquitanus editâ theoriâ Isaaci Hollandi ad
calcem ejus adjecit: *Si extarent, inquit, opera Isaaci, & in lucē
mitterentur, Paracelsi opera sepelirentur, in cujus librum de ope-
re vegetabili cum incidere, reperi de verbo ad verbum doctrinā
de TRIBUS PRINCIPIIS. &c.* Vid. Dn. Libav. Tr. Chym.
de Ign. naturæ, c. 48. f. 103. Syntagm. arcan. Chym. l. 7. c. 34. f.
355. 356. Imò Quercetanus in respons. ad Aubertum expressè
fatetur: *Paracelsum quod attinet, mihi nequaquam proposui
ipsius Theologia patrocinium suscipere, neq; ipsi in omnibus adsti-
pulari unquam cogitavi. & cœteri, qui principia Chymica am-
plectuntur, potius Petri Severini Dani sectatores sunt, quàm
Paracelsi.*

§. 13. Sed habent insuper de numero quod hic nobis ob-
jectent. *Veteres & novi Chymici inquit, in principiis non con-
sentiant: cum isti duo tantum Sale omissio; hi tria eodem ad-
dito statuunt & propugnant. At quivis videt, parum id obef-
se nostræ adsertioni, numeroq; ternario. De veteribus animo
Chymicorū cōpositus è Senec. epist. 64. l. i. dicit. *Veneror invē-
ta sapientia, inventoresq;.* Adire tanquam multorum benedicta-
tem juvat. *Mibi ista acquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus
bonum patrem familia: faciamus ampliora, qua accepimus. Mul-
tum adhuc restat operis, multumq; restabit nec ullinatio post mille
secula praecludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. Multum e-
gerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Suspiciendi tamē
sunt & ritu Deorum colendi. Quanquam dissimulandum
non sit, Veteres tertium illud principium, quod SAL appel-
lant, omnino non latuisse. Geber. l. 2. summ. perfect. mani-
festè scribit. *Omne, quod solvitur (aquis acutis seu fortibus)
necesse est salis aut aluminis, vel eorum consimilium naturam ha-
bere.* Eadem fuit Democriti & Gilgilis sententia, qui Salis na-
turam in metallis per calcem, cinerem & lixivium declara-
bant.**

bant. Vid. D. Johann. Gerbard. quæst. physico Chym. 2. p. 46. seqq. ubi docet simul, quorsum Veteres Salem retulerint. Conf. D. Libav. Syntagm. Arcan. Chym. l. 7. c. 34. f. 355. Dn. D. Sennert. c. 11. de C, ac D. p. m. 274.

§. 14. Hinc illud quoque notandum ducimus, non facile à rebus ad *λογομαχίαν* resiliendum esse. Diversis nominibus insigniant diversi; modò nobis largiantur, tria hæc esse substantialia metallorum omnium præter elementa principia: quæ sicut in generatione in unum compositum coeunt; ita in corruptione resolvi in eadem possunt. Vocitent *Mercurium* argentum vivum, hydrargyrum, liquorem viscosum, aquam, aquam unctuosam; Appellitent *Sal* terram cinerem, vel nomine essentiali alkali: Nominent *Sulphur*, spiritum inflammabilem, oleum, oleum acreum, oleum igneum, æthera, ærem, ignem, resinam, crocum, animam, totam naturam: Non pugnandum de hac re cura quoquam est; sed studendum, ut loquentes artifices intelligamus potius, quàm reprehendamus. D. Libav. c. l. f. 356. Qui veritatem intelliget, reperiet, Philosophos habitos vulgari opinione contrarios, revera non esse contrarios; conciliationes quæret, non factiones, D. Gerhard. l. c. Audiamus Nollium, qui l. 8. Phys. Hermet. c. 2. p. 310. statuit, esse tria principia singulorum metallorum: posse tamen revocari ad duo & ad unum. Ad duo; quando sal Sulphuri intimè implicatū intelligitur: Ad unum; quando argentum vivum sulphure & sale naturæ intimè impregnatum pro materiâ metallicâ sumitur. Non ergò Philosophi sibi mutuo contradicunt, quorum alii unum, alii duo, alii tria statuerunt metallorum primordia. Hæc ille.

§. 15. Nos ut hæc ipsa in Auro nostro probemus; fundamenti loco duo ponimus: Resolutionem ejusdem naturalem, & affectiones cum effectibus peculiaribus, quas elementis tribuere vetat accuratio earundem consideratio. Fundamentum posterius impetu quovis superius est. Semper ita & quidem tuto progredimur pede, ut ab operationibus ad facultates, à facultatibus ad ipsam essentiam veritatis instinctu ascendamus. Omni exceptione majores *Canones* isti Logicorum sunt.

Ope-

Operatio arguit rem ipsam. Ubi est proprium, ibi est subjectum. Modus operandi sequitur modum essendi. Ut se res habet in esse, ita & in operari. Quale esse, tale operari. Divinam essentiam divinae sequuntur operationes, angelicam angelicae, humanae humanae, elementarem elementares. Quod si ad prius subruendum argumentorum arietes admovere conentur, nae sibi ipsismet damnum inferunt. Eodem namque Aristot. l. 3. de Cael. c. 3. text. 35. Galen. l. 1. c. 3. & qui istos sequuntur, in defendendo elementorum numero nituntur. Scilicet in propria sciendum viscera: destruendum nunc, quod ab ipsismet adstructum. Cur negant, quod in peripato est decantatissimum? Quae ratio disparitatis & canonem, dum ab illis adhibetur, immotae veritatis esse: a nobis idem cum fit, falsitatis argui debere. Sicut elementa, Celeberr. Sennertus ait, dum illud unionis vinculum solvitur, quodq; sibi relinquatur, ita etiam principia Chymica, quae antea sub forma nobilioris dominio serviebant, neq; ob aliorum admistionem deprehendebantur, forma illa corrupta jam manifesta sensibus fieri incipiunt, ita ut Sal, qui antea latebat, partibus aliis exhalantibus in cinere maneat, & inde levi negotio separari & ad oculam demonstrari possit. Interim, si quae absurda & inepta in haec tria principia a Paracelsistis intrudantur: protestamur, nos illorum nec patrocinium suscepisse, nec suscepturos unquam. v. g. stellas quasdam habere se instar cucurbitarum, suisq; cavitatibus Salem Sulphur & Mercurium continere, atq; inde per operationem atherei Vulcani per emunctoria ventos emittere, non secus ac cum flatus (sit venia dicto) in corpore humano generantur & alia. Firmiori tibi cine fulsa sunt nostra principia, quam ut remotis illis absurdis corruant.

§. 16. Nunc sigillatim ea in Auro hoc nostro contemplari animus est; At cum pagellarum angustia, legumq; observantia in alium differre diem imperet; hic

TERMINUS ESTO.

Nov. 2000 ^{8d.}







15
...IM PROSPERANTE!
NON
...GIO PHILOSOPHICO
...ITTEBERGENSI
...EMIA
...INTE

...RO,
...MATERIA
...NEM PRIMAM
...των examini subjiciunt
...ESES

...US Purgold /
...O THUR.

...NDENS
...Naab / HILPERH, FR.
...STUDIOS.
...oris matutinis
...ecembr.
...rentis
...LII.



...BERGÆ,
...aken. cl. l. c. LII.